Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 343

Quelle:
Copyright:

CXXIX. IX F. 4

489 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 158. 4. minutius exaratus, minio paſſim diſtinctus et olim *Monaſterii ſancti Johannis in Seyts* (Styriae) *ordinis cartuſienſis* eſt quintum Bibliothecae Aug. Exemplum *Aurorae Petri de Riga*, cujus ordo non parum turbatus eſt. Incipit enim a Cantico Cant. hoc modo:

Doctus origenes cum doctos vicerit omnes
In libris alijs. hoc in libris ſalomonis
Semet tranſcendens &c.

In Exemplo I. pro *Doctus* legitur *Solus*, et pro *hoc in libris* rectius *tamen in libro.* Puto collato utroque *Codice* reſcribendum *hoc in libro.* Clauſula calcis: *Explicit liber de amoris cantico. deo gratias*, et ſtatim *fol.* 18. p. 2. *Incipit liber Job.* ſed absque Prooemio, a verſu: *Nomine Job vir erat* &c. Hunc excipit *fol.* 27. Liber *Joſue*, qui, quaſi praeceſſiſſet *Pentateuchus*, inſcriptus eſt: *Expliciunt. V. libri moyſy. incipit Joſue.* Sequitur *Ruth*, et poſt hanc demum *fol.* 31. *Incipit prologus in pentateuco moyſi. In nomine domini noſtri Jheſu chriſti*, proſaicus ſcilicet ille, cujus initium: *Frequens ſodalium meorum peticio* &c. quemque in recenſione Exempli I. excerpſi. Initium *Geneſeos* absque aliis παρεγγοις:

Primo facta die duo. celum. terra. leguntur.

Diviſa eſt haec juxta miniatas inſcriptiones in IV. Libros. In Prologo *Levitici* redundat Diſtichon illud: *Uox autem domini moyſen vocat* &c. Vide, quae dixi ad Exemplum III. *Pentateucho* continuo adſcriptus eſt *Liber Judicum* incipiens a 5. illis Diſtichis, quae ad Exemplum I. notavi. Succedunt *Libri Regum* III. praefixis itidem 5. Diſtichis ibi notatis, quae a Codice *Trithemii* abfuere; re ipſa autem ſunt Libri IV. ut teſtatur etiam rubrica calcis: *Explicit quartus liber regum.* Erravit itaque in eo Librarius, quod *fol.* 98. p. 2. ad v. *Regnavit Salomon rex* &c. qui iuxta *Trithemium* Librum IV. orditur, titulum non adjecerit. Poſt *Reges* habemus *Tobiam*, cui ſubſcriptum Triſtichon de 5. Mulieribus nomine *Annis*, *Danielem*, *Judith*, *Eſther* et *Machabaeos.* Tandem *fol.* 126. absque titulo *Novum Teſtamentum* inchoat ab illo Prooemio: *Poſt legem ueterem reſpira petre* &c. de quo dictum eſt ad Exemplum I. Narratio orditur a *Luca*, cui mox *fol.* 127. inſertum eſt Carmen, ut ibi, in laudem B. V. *Mariae*, in-